

**DIES SEXTA OCTOBRIS.
DE S. BRUNONE CONFESSORE ORDINIS
CARTHUSIANORUM FUNDATORE IN
CALABRIA.
VITA ANTIQUIOR.**

**Auctore primorum quinque Cartusiæ Priorum
chronologo anonymo, Ex antiquissimo bibliothecæ
Cartusianorum Coloniensium Ms. deprompta.**

CAPUT UNICUM

**Occasio conversionis S. Brunonis; solitudinem petere
statuit, alios in idem propositum attrahit, Gratianopolim
pergit, in Cartusiæ eremum secedit, ad Pontificem, ex hac
evocatus, se confert, solitudinem repetendi facultatem ab
eo impetrat, in Turritanam Calabriæ eremum se abdit,
ibique moritur.**

**[1] [Doctor Parisiensis clari nominis, qui obierat,] Anno
Dominicæ Incarnationis MLXXXII vel circa illum, dum
solemne studium floreret Parisiis, præcipue in Philosophia
& Theologia, & Jure Canonico, sicut generaliter consuevit,
tale prodigium ibi dicitur accidisse. Quidam enim doctor
præcipuus, & vita, ut videbatur, fama atque doctrina &
scientia inter omnes doctores Parisienses excellenter
honoratus, & mirabiliter gratosus, gravi & ultima
infirmirate præventus, non diu decumbens diem clausit
extremum.**

**[2] [primo se accusatum,] Cumque tota die, qua defunctus
est, more Parisiensi in aula, funere in feretro
decumbente, fuissent continue decantata divina Officia,
in crastino mane, congregata ibidem Universitate
Parisiensi tam scholarium quam doctorum, ut tam**

honorabili viro solemnem & honorabilem præberent funeralis Officii sepulturam, cum reverendi viri feretrum, in quo funus jacebat, vellent elevare ad ecclesiam deferendum, subito, cunctis stupentibus, qui mortuus videbatur & erat, elevato capite, resedit in feretro, & omnibus audientibus, alta & terribili voce clamabat: **Justo Dei judicio accusatus sum, & hoc dicto, caput deposuit, & decubuit mortuus, sicut prius.**

[3] [dein judicatum,] **Qua voce cuncti attoniti & territi deliberaverunt, ipsum illo die nullo modo fore sepeliendum, sed usque in crastinum reservandum. Mane ergo sequenti cum multitudo maxima convenisset, & dictum funus, sicut prius, vellent ad ecclesiam deportare, defunctus, sicut prius, elevato capite, dolorosa & terribili voce intonuit: Justo Dei judicio judicatus sum.**

[4] **Quam vocem multitudo, quæ aderat, clare intelligens & audiens stupuit plus, [ac tandem damnatum, publice e feretro proclamat,] quam prius, & alterutrum conquirentes, quid sibi vellent innuere tam insoliti & inexperti defuncti clamores, adhuc determinaverunt ipsum ad aliud crastinum usque nullatenus tumultandum. Tertio vero die cum propter ista prodigia civitas convenisset, & funus, cunctis præparatis, vellent ad tumulum deportare, defunctus, sicut prius, jam tertio altissimo & moestissimo clamore personuit: Justo Dei judicio condemnatus sum.**

[5] **Qua horribili sententia audita, quasi omnes immenso fuerunt timore & tremore percussi, [Hinc Bruno, qui horrendo spectaculo intererat, compunctus præsentibus aliquot] certi facti de condemnatione tanti viri, qui inter alios & super alios videbatur honestate vitæ, claritate famæ, dignitatis excellentia, & multiplici scientia ac sapientia præfulgere. Ea tempestate erat ibi magister Bruno, natione Theutonicus, de civitate Colonia non**

obscuris parentibus natus, ecclesiæ Remensis canonicus & ibidem scholarum magister in Theologia, qui suprascriptis vocibus salubriter territus atque compunctus allocutus est quosdam socios ibi præsentis infrascriptis vel similibus verbis: Eia, Carissimi, quid faciemus?

[6] Omnes simul peribimus, non salvabitur, nisi qui fugerit. [vehementissima efficacissimaque] Si in viridi hæc fiunt, in arido quid fiet? Si homo tantæ dignitatis, tantæ literaturæ, qui videbatur tam honestæ vitæ, qui erat tam celebris famæ, sic indubitanter damnatus est, quid nos miserrimi homunculi faciemus? Si lugubri voce unius homuncionis tam horribili & stupendo timore & tremore concussi & stupefacti sumus, quid faciemus, dum rugitus leonis, cum extremi iudicii tuba aures nostras perculerit? Cum omnes audiemus: Surgite, mortui, venite ad iudicium? Quo tunc fugiemus? Quomodo in tam horrendo iudicio, ubi columnæ cæli contremiscent, & angeli terrebuntur & territi purgabuntur *, apparere poterimus? Ubi tunc latebimus?

[7] Impossibile erit latere, intolerabile apparere; fugiamus igitur a facie gladii Dei, [oratione ad pœnitentiam hortatur,] præoccupemus faciem ejus in confessione, venite adoremus, & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos. Postquam igitur hodie vocem ejus stupendam audivimus, non obduremus corda nostra, sed exeamus de medio Babylonis, egrediamur Pentapolim, igne & sulphure jam succensam, & exemplo beati Pauli heremitæ, beatorum Antonii, Arsenii, Euagrii aliorumque Sanctorum cum beato Joanne Bapt. antra deserti quæramus, in montibus nos salvos faciamus, ut æterni Iudicis iram, & sententiam damnationis æternæ, & diluvii * peccatorum in arca Noë, & in navicula Petri, in qua Christus ventum & tempestatem cessare fecit, id est, in navi pœnitentiæ evadere

valeamus & pervenire possimus ad portum & tranquillitatem salutis æternæ.

[8] His vel similibus verbis atque sententiis seipsum & quosdam socios alloquens & exhortans deliberaverunt ipse & sex alii probi viri secum abrenuntiare mundo & pompis ejus, [dumque eos dictis obsequentes habet, locum pœnitentiæ aptum] & ad perpetuam pœnitentiam peragendam heremi deserta competentia quærere, & ibidem, relictis omnibus divitiis & deliciis & honoribus hujus mundi, accipere singuli cruces suas, & nudi nudum Christum sequi per arctam viam, quæ ducit ad vitam, & latam ac spatiosam deserere, quæ amatores & sectatores mundi perducit ad supplicia damnatorum.

[9] [quæsiturus ad Hugonem Gratianopolitanum episcopum cum iisdem se confert.] Et ideo, quia audierant famam sanctitatis sancti Hugonis episcopi Gratianopolitani, qui prius aliquo tempore ejusdem magistri Brunonis in scholis creditur socius extitisse, Sancto Spiritu inspirante, proposuerunt ad memoratum sanctum episcopum simul accedere, & ejusdem auxilium & consilium requirere, ut in ejus diocæsi, quam audierant multis desertis montibus habundare, mererentur locum congruum obtinere, in quo suum sanctum & salubre propositum ossent effectui mancipare. Septem igitur Sancti Viri suprascripti prædicta de causa ad prædictum sanctum episcopum, duce sancto Spiritu, pervenerunt.

[10] [Hic illos benigne suscipit,] Et, ut utar omnino verbis scriptis in Legenda vitæ S. Hugonis episcopi memorati, per summum Pontificem, qui eum canonizavit, approbata, & confirmata, Adest magister Bruno vir religiosus, scientia famosus, honestatis & gravitatis ac totius maturitatis quasi quoddam simulachrum; habebat autem socios magistrum Landuinum, qui post eum Prior Cartusiæ extitit, duos Stephanos, Burgensem & Diensem (hi sancti Rufi

canonici fuerant, sed desiderio vitæ solitariæ eis, abbate favente, sese conjunxerant) Hugonem etiam, quem cognominabant Capellanum, eo quod solus ex eis sacerdotis fungeretur officio, duos laicos, quos appellamus Conversos, Andream & Guarinum; quærebant autem locum heremiticæ vitæ congruum, necdumque repererant. Hac ergo spe, simul & suavi sanctæ conversationis odore trahente, venerunt; quos episcopus, non solum gratanter, sed & reverenter suscepit, tractavit & voti compotes fecit.

[11] [in condenda Carthusia juvat,] Ipso namque consulente & juvante ac concomitante, Cartusiæ solitudinem intraverunt atque extruxerunt anno Domini millesimo octogesimo quarto; episcopatus vero dicti sancti Hugonis quarto. Viderat autem præfatus sanctus episcopus circa idem tempus per somnium in eadem solitudine Dominum suæ dignationi habitaculum construendum, stellas etiam septem ducatum sibi præbentes itineris. Erant vero & hi septem; quapropter non istorum tantum, sed & qui successerunt eis, consilia libenter amplexus est, & usque ad mortem Cartusiæ habitatores semper fovit, & beneficiis & consiliis; licet vero & prius divini amoris totus arderet incendiis, nec aliter tamen ad disciplinæ cælestis exercitia eorum exemplis & familiaritate inferbuit, quam si flammanti quis faci plures alias circumponat ardentis.

[12] [humillime etiam ibidem inter eosdem vivens,] Erat cum eis, non ut dominus aut episcopus, sed ut socius, sed ut frater humillimus & ad cunctorum, quantum in ipso erat, obsequia paratissimus; adeo ut vir venerabilis Guilhelmus Prior tunc S. Laurentii, postea S. Theofridi abbas magistro Brunoni etiam ipse non modica religiosa devotione alligatus, beati Hugonis tunc contubernalis, (bini quippe per singulas habitabant cellas) apud magistrum Brunonem non leviter conquereretur, quod

pene omnia ad humilitatem spectantia intra cellam præriperet officia episcopus, non saltem secum ut socius, sed potius conversaretur ut famulus.

[13] In tantum autem heremum devotus incolebat [Brunonemque fere loco abbatis habens.] & sedulus; ut eum magister Bruno non numquam exire compelleret, Ite, dicens, ite ad oves vestras, eisque, quod debetis, exolvite. Eo tempore magnæ paupertatis & humilitatis ardore succensus dictus episcopus voluit equitaturas suas cunctas vendere, & de ipsarum pretio pauperibus erogare, propriisque pedibus in prædicatione discurrere; sed homo profundi cordis magister Bruno, cujus consiliis non aliter quam præceptis obtemperabat abbatis, non consensit, timens, ne apud se de hoc forsitan extolleretur, aut a cæteris de singularitate judicaretur episcopis, aut, quod dubium non erat, id ipsum propter asperitatem & inæqualitatem consummare non posset iterum."

[14] Omnia prædicta sunt verba domni Guigonis scripta in Vita S. Hugonis Gratianopolitani episcopi, [Ast hic ab B. Urbano II Papa, quem olim discipulum habuerat,] quæ hic inserenda judicavimus, quia in eis primordia foundationis Cartusiæ declarantur, & magistri Brunonis excellentia innotescit & in hoc, quod eidem tam venerabilis, tam Sanctus episcopus cum tanta reverentia, sic ferventer & humiliter adhærebat, & cum eodem vere dici potest domus & Ordinis Cartusiensis patronus & fundator; & quamvis non primus, tamen quodammodo præcipuus institutor. Feliciter igitur fundata & inchoata fuit domus, & Ordo Cartusiensis tempore summi Pontificis Gregorii septimi, cui in Papatu successit Papa Victor, qui valde modicum, id est, tantum uno anno & mensibus quatuor circiter vixit. Quo mortuo, Urbanus secundus creatus est, cujus magister Bruno prius præceptor fuerat & magister.

[15] Hic cito post creationem suam recordatus sapientiæ & sanctitatis & discretionis eximiæ magistri sui Brunonis, [evocatur; licet autem reliqui, sese, eo abeunte, in Carthusia mansuros, negarent,] statim cogitavit eum habere, ut eum dirigeret & juvaret ad Apostolatus sollicitudinem & onera perferenda. Cum igitur præfatus magister Bruno jam sex annis heremum Cartusiæ inhabitasset, & vocatus ad curiam Romanam, oporteret eum summo Pontifici obedire, & filiorum suorum cellicularum societatem gratissimam, saltem ad tempus, deserere, ipsi subditi sui tanto sunt propter hoc dolore concussi, & tanta tristitia perturbati, quod omnino etiam ipsi dixerunt, se nullo modo in Cartusia mansuros, si eosdem accideret, tam dulcissimi & dilectissimi Patris orbari præsentia & providentia spoliari.

[16] Magister igitur Bruno propter istam filiorum desolationem non leviter desolatus, [Pontifici tamen obtemperat,] obedientiæ tamen debitum summo Pontifici non volens, nec valens licite denegare, ne locus Cartusiæ, a cellicolis derelictus, ad profanas & indignas manus, aut usus sæcularium deveniret, ipsum Casæ-Dei abbati, qui fuerat unus de primis fundatoribus, facta donatione & cessione, reliquit, confecto super hoc ei publico instrumento. Deinde venerabilis Pater, ad summum Pontificem veniens, eidem non longo, sed brevi tempore assistens, consiliis & auxiliis salutaribus ejus multa onera supportabat, & multum in regimine sanctæ Dei Ecclesiæ ejus sollicitudinem sua promptitudine sublevabat.

[17] Diu tamen patienter dissimulare non potuit tristitiam, [verum ab hoc brevi post solitudinem repetendi facultatem impetrat,] & dolorem conceptum de suorum dispersione filiorum, & strepitus & tumultus curiæ, impediens dulcedinem & quietem, qua frui & pasci in heremo consueverat, graviter ferens & diutius ferre non sustinens, exposita summo Pontifici sua desolatione, cum

summa instantia imploravit & impetravit a curia separari, & quod posset ad heremum & cellæ jam prægustatam dulcedinem & desideratam requiem repedare.

[18] [atque in Calabriæ eremum secedit,] Et cum summus Pontifex vellet eum confirmare in archiepiscopum Regiensem, ad quam ecclesiam, ipso Papa annuente, electus fuerat, nullo modo consensit, sed ipso spreto atque contempto, Apostolico valefaciens ad Calabriæ quandam heremum, cui Turris nomen erat, Deo duce, pervenit, ibique, multis clericis & laïcis congregatis, monasterium instituit, in quo usque ad finem vitæ suæ in solitariæ vitæ proposito humilitate constans, caritate flagrans, devotione fervens, Deo semper adhæsit, & ibidem itinerarli sui cursum feliciter consummavit. Quem gloriosum Patrem adeptum fuisse bravium, & coronam felicitatis æternæ divina Clementia per nonnulla miraculosa indicia declaravit.

[19] Prius tamen quam de curia recederet, ejus, ut creditur, [cum ante effecerat, ut, qui Carthusiam reliquerant,] meritis & precibus, divina Misericordia omnes ejus socios & subditos revocavit, ita quod omnino omnes redire Cartusiam consenserunt. Et ideo magister Bruno impetravit a summo Pontifice litteras ad venerabilem virum Siguinum abbatem monasterii Casæ-Dei, quatenus locum Cartusiæ derelictum per magistrum Brunonem omnino infra triginta dies a receptione Papalium litterarum redderet & restitueret sociis ac subditis magistri Brunonis cum omni pristina libertate.

[20] [eo jam, præposito iis Landuino, rediissent.] Et istæ videntur primæ litteræ Papales, quæ inveniuntur de Ordine Cartusiensi facere mentionem; quæ circa principium Cartularii Cartusiæ sunt conscriptæ. Abbas vero Siguinus, recepto mandato Apostolico, gratanter & hylariter obedivit, & magistro Landuino ac suis sociis

locum Cartusiæ libere & liberum reddidit per publicum instrumentum, quod circa principium Cartularii Cartusiæ est transcriptum. Prædictum autem fratrem Landuinum magister Bruno Priorem ordinaverat Cartusiæ, antequam ad partes Calabriae transmearet.

[21] [Biographi hac occasione] Quia igitur judicia Dei sunt incomprehensibilia & abyssus multa, non est locus Cartusiæ indignior judicandus ex eo, quod, postquam sex annis fuerat divino cultui dedicatus, a prædictis sanctis viris fuerit derelictus; sed potius propter hoc est mirabilior & dignior reputandus, quasi, qui etiam derelictus, tantæ virtutis fuerit, quod suos incolas meruerit ac prævaluerit revocare, nec sine Dei cultoribus, nec absque divinis laudibus potuerit remanere.

[24] Bruno igitur, vir sanctissimus & gemina scientia præditus, [tempusque, quo Bruno post egressum e Carthusia obierit.] tam divina scilicet quam humana, eloquentia Tulliana præclarus, discretione, devotione, morum excellenti honestate præfulgens, cælestiumque virtutum copioso thesauro ditatus atque dotatus, Deo & hominibus dilectus & gratus, heremum Cartusiæ rexit sex annis, & post, ut prædictum est, Papa vocatus, & non diu post ad heremum Calabriae, cui Turris nomen est, transiens, ibi, sancto constructo monasterio, multorum Dei servorum anachoretarum rector extitit & minister, & ibidem, felici vitæ suæ cursu peracto, migravit ad Dominum post egressum Cartusiæ undecimo anno nec plus, nec minus, sicut in libris Consuetudinum domni Guigonis, quæ sunt in domo Cartusiæ, continetur. Juxta sepulchrum ejus immediate fons vivus emanat, qui divina clementia in hujus Viri sancti meritis multis languoribus fidelium optatæ confert remedia sanitatis.